

Ch. An. 1/ 21589/P 53050  
DISQUISITIO

HISTORICO - MEDICA

DE

NATURA MORBI ATHENIENSIIUM

*A THUCYDIDE DESCRIPTI.*

AUCTORE

AUGUSTO KRAUSS,

DOCTORE MEDICINÆ.



---

STUTTGIARTIÆ,

TYPIS J. F. STEINKOPFII.

MDCCCXXXI.

1831.

OLC 101/192111



---

## PRAEFATIO.

---

*Inter res maxime memorabiles et meditatione dignissimas habendae sunt horribiles illae pestes, quae diversis temporibus modo universali modo in singulas tantum terras directo impetu in genus humanum saeviunt. Magnum habent ad statum politicum momentum, majorem ad mores, ita quidem, ut rarissime morum conditio in melius excolatur (egregia tamen exempla grassante quondam Barcellonae typho icterode legimus), ut potius depravetur. Medicum adlicit origo obscura, cognatio cum aliis morbis, gravitas symptomatum, philosophus denique loci, quem pestes ejusmodi in magno mundi organismo tenent, investigatione occupatur.*

*Multa nempe cognationem omnino probant propiorem inter naturae, quam anorganicam vocant, vires et vim, quae vitae organicae subest. Exemplo sit materia illa fontium medicatorum albuminosa seu gelatinosa, quae vulcanicam certe originem trahit, verum teste Gimbernato infusoriis constat animalculis. Cum autem morbus, etsi mutatus et abnormis sit virium vitalium nisus, tamen, quod in contagiis videmus, phaeno-*

menon fieri possit substantivum et ab animali organismo, ex quo originitus prodiit, immune, quaeritur, num quoque similis, quem in vita sana auguramur, nexus existat inter vim, quae morbum substantivum constituit, et vires naturae anorganicae. Quod exquisituri pestibus magnis optime edocemur. Constat enim, morbos, qui solo contactu plerumque propagari solent, postremo nonnunquam, ut in typho icterode et peste orientali, e. gr. in peste Londinensi, in qua parietes conclavis Roberti Boylei maculis nigris contaminabantur, observatum est, in aëre solvi, vim illam ignotam, quam Hippocrates τὸ θεῖον appellavit et nosmet genium morborum nominamus, constituentes; tunc quamvis abnormem virium vitalium actionem aëris mutati influxus moderatur et mutat. Hic igitur argumentum habemus, quo nexus morbi substantivi, originitus ab animali organismo exeuntis, cum natura anorganica probatur; ceterum non desunt exempla, quae morbum substantivum etiam recta via mutationibus mundanis gigni posse docent. Dirissima illa, quam mortem nigram vocant, pestis secundum auctores sinenses e vaporibus a globo igneo coelo delapso et in terra disrupto exortis prodiit sudorisque anglici lues sub nebulae forma incessit; praeterea tum mors nigra, tum morbus Influenza

*dictus, tum cholera nostrae aetatis indica ab oriente versus occidentem migravere in certum mundanae originis testimonium. Credas fortasse, morbos illos simplicem fuisse sequelam infestae aëris insolito modo mutati actionis in corpora humana, eadem ratione, qua post terrae motum calabrensem anni 1782, quem insequente anno per totam aridam aestatem sicca nebula apud nos secuta est, biliosa humorum depravatio fere ubique exorta est, verum contagiosa, certe partis eorum, indoles naturam ipsorum substantivam satis luculenter monstrat. Est igitur etiam nexus inter morbos substantivos et vires anorganicas habendique sunt pro tali parte virium in magno mundi universi organismo regnantium, quae verisimiliter destinata est ad cohibendum certum animalium, in quos speciales coactae sunt vires, organismorum numerum, quod certe ex eo, quod pestes specierum animalium, nationum, immo quodammodo familiarum occurrant, ex ortu novorum morborum aliis plus minusve extinctis, denique ex insolitae, quae ejusmodi pestes sequi solet, generis humani fecunditatis instauratione licet concludere.*

*Tubingae xviii. Octobr. MDCCCXXX.*

*DR. H. F. AUTENRIETH.*

---

---

## PROLEGOMENA HISTORICA

Cfr. Thuc. L. II. C. 49.

---

Belli peloponnesiaci anno secundo seu quadringentesimo et tricesimo ante Chr. nat., aestate ineunte Lacedaemonii eorumque socii secunda in Atticam expeditione facta totam devastarunt regionem. Athenienses autem in aciem descendere in animo non habentes intra muros se continebant. Paucis diebus postea quam hostes in Atticam invaserant, morbus, qui antea circa Lemnum aliisque in regionibus grassatus esse ferebatur, urbem, in quam ingens hominum copia erat recepta, primum infestavit. Neque vero lues quaequam tanta tamque gravis neque ulla pariter ac iste, perniciosa post hominum memoriam exstitit. Ortum esse ex Aethiopia, fama fuit; illinc descendit in Aegyptum et Libyam, nec non in majorem Persarum regis terrarum partem irrepsit. Atheniensium vero urbi subito incidit ac primum quidem eos, qui in Piraeo versabantur, corripuit, unde superiorem petens urbem multo majorem hominibus intulit cladem.

Qui morbus Lemnum quoque ac finitimas insulas adortus esse ferebatur, patriam habuisse Africam probabile mihi videtur; tum quod ejusdem ille naturae fuit, qua atheniensis, tum quod regiones

circa Chersonesum thracicam sitas praecipue noxas ejusmodi ex Afris traxisse, morborum historia docet. — Quantum vero temporis sit elapsum à peste illa lemnica ad atheniensem usque, quamquam Thucydides non definit, ex illis tamen verbis „λεγόμενον καὶ πρότερον — ἐγκατασηΐψαι“ — unam ab altera temporis intervallo haud exiguo fuisse sejunctam, recte colligi potest.

Egregiam profecto morbi illius perniciosi litteris mandavit imaginem praeclarissimus historiarum scriptor. Quem etsi complures ex iis scriptoribus, qui posteriore aetate morbos descripserunt pestilentes, exemplum sibi proposuisse mihi videntur, omnibus omnino tamen longe antecelluit.

Symptomata febris Atheniensium, qualia Thucydides adumbravit, aliaque nonnulla, quae morbo illi propria fuerunt, ipsis Nostri litteris transferamus in hunc tractatum, omittentes, quae per se sunt manifesta et pestibus omnis aetatis sat communia.

---

(Cap. 49 — 51.)

Τὸ μὲν γὰρ ἔτος, ὡς ὠμολογεῖτο, ἐκ πάντων μάλιστα δὴ ἐκεῖνο ἄνοσον ἐς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ἐτύγχανεν ὄν· εἰ δέ τις καὶ προέκαμνέ τι, ἐς τοῦτο πάντα ἀπεκρίθη· τοὺς δ' ἄλλους ἀπ' οὐδεμιᾶς προφάσεως, ἀλλ' ἐξαίφνης ὑγιεῖς ὄντας, πρῶτον μὲν τῆς κεφαλῆς θέρμαι ἰσχυραὶ, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἐρυθρήματα καὶ φλόγωσις ἐλάμβανε. Καὶ τὰ ἐντὸς, ἦτε φάρυγξ καὶ ἡ γλῶσσα, εὐθύς αἱματώδη ἦν, καὶ πνεῦμα ἄτοπον καὶ δυσῶδες ἠφίει· ἔπειτα ἐξ αὐτῶν πταρμὸς καὶ βράγχος ἐπεγίγνετο. Καὶ ἐν οὐ πολλῷ χρόνῳ κατέβαινε ἐς τὰ στήθη ὁ πόνος, μετὰ βηχὸς ἰσχυροῦ· καὶ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν στηρίξαι, ἀνέστρεφέ τε αὐτήν, καὶ ἀποκαθάρσεις χολῆς παῖσαι, ὅσαι ὑπὸ ἰατρῶν ὠνομασμέναι εἰσὶν, ἐπήεσαν, καὶ αὐταὶ μετὰ ταλαιπωρίας μεγάλης· λύγξ τε τοῖς πλείοσιν ἐνέπιπτε κενή, σπασμὸν ἐνδιδούσα ἰσχυρὸν, τοῖς μὲν μετὰ ταῦτα λωφῆσαντα, τοῖς δὲ καὶ πολλῷ ὕστερον. Καὶ τὸ μὲν ἔξωθεν ἀπτομένῳ σῶμα, οὐκ ἄγαν θερμὸν ἦν, οὔτε χλωρὸν, ἀλλ' ὑπέρυθρον, πελιδνὸν, φλυκταίναις μικραῖς καὶ ἔλκεσιν ἐξηνθηκός· τὰ δὲ ἐντὸς οὕτως ἐκαίετο, ὥστε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολὰς, μήτ' ἄλλο τι ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι, ἠδιστά τε ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥίπτειν· καὶ πολλοὶ τοῦτο τῶν ἡμελημένων καὶ ἔδρασαν ἐς φρέατα, ἀπαύστῳ τῇ δίψῃ ξυνεχόμενοι. Καὶ ἐν τῷ ὁμοίῳ καθειστῆται τό, τε πλέον καὶ ἔλαστον ποτόν. Καὶ ἡ ἀπορία τοῦ μὴ ἡσυχάζειν καὶ ἡ ἀγρυπνία ἐπέκειτο διὰ παντός· καὶ τὸ σῶμα, ὅσον περ χρόνον καὶ ἡ νόσος ἀκμάζοι, οὐκ ἐμαραίνετο, ἀλλ' ἀντεῖχε παραδόξαν τῇ ταλαιπωρίᾳ· ὥστε ἡ διεφθείροντο οἱ πλεῖ-



*Versio latina* \*).

(Cap. 49 — 51.)

Nam annus ille (ut vel omnium confessione constabat) ex omnibus maxime fuit immunis ab aliis morbis. Quod si quis et ante alio quodam morbo laborabat, omnes hi morbi in istum convertebantur. Alios vero ex nulla certa manifestaque causa apparente, sed ex improvise, cum sani forent, primum quidem acres capitis fervores, et oculorum rubores, et inflammatio corripiebat. Et interiora, fauces inquam et lingua continuo cruenta erant: et halitum tetrum et graveolentem emittebant. Deinde vero ex his sternutatio et raucitas sequebatur: nec multo post labor vehementem inducens tussim in pectus descendebat. Ubi vero in ventriculo haeserat, cum ipsum subvertebat, tum etiam omnes bilis ejectiones, quotquot a medicis nominatae sunt, sequebantur et ipsae cum ingenti cruciatu. Singultusque plerisque incidebat inanis, vehementem afferens convulsionem, in aliquibus quidem statim cessantem, in nonnullis multo serius. Et corpus quidem exterius tangenti non erat admodum calidum, neque pallidum, sed subrubrum, lividum, parvis pustulis et ulceribus efflorescens. Interiora vero ita flagrabant, ut neque tenuissimorum vestimentorum aut linteorum injectiones sustinerent, neque aliud quippiam praeter nuditatem, et libentissime in aquas gelidas se conjicerent. Et multi eorum, qui neglecti erant, hoc ipsum etiam fecerunt et in puteos se dejecerunt siti insedabili. Et largior potus perinde erat ac parcius. Et corporis vexatio, quae quiescendi facultatem adimebat, et perpetuae vigiliae eos urgebant. Corpus etiam ipsum quamdiu morbus vigeat, non languere; sed praeter opinionem laboribus resistere. Itaque plerique intra nonum aut etiam septimum diem, in-

---

\*) *Versionem latinam, qualem Bauerus in editione sua Thucydidis historiae prodidit, in hunc libellum transtulimus vix non integram, paucis tantummodo immutatis.*

στοι ένναταῖοι καὶ έβδομαῖοι ὑπὸ τοῦ έντὸς καύματος, ἔτι ἔχοντές τι δυνάμεως, ἢ, εἰ διαφύγοιεν, ἐπικατιόντος τοῦ νόσηματος ἐς τὴν κοιλίαν, καὶ ἐλκώσεώς τε αὐτῇ ἰσχυρᾶς ἐγγιγνομένης, καὶ διαρροίας ἅμα ἀκράτου ἐπιπιπτούσης, οἱ πολλοὶ ὕστερον δι' αὐτὴν ἀσθενεῖα διεφθεῖροντο. Διεξήει γὰρ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἀνωθεν ἀρχάμενον τὸ ἐν τῇ κεφαλῇ πρῶτον ἰδρυθὲν κακόν· καὶ εἴ τις ἐν τῶν μεγίστων περιγένοιτο, τῶν γε ἀκρωτηρίων ἀντίληψις αὐτοῦ ἐπεσήμαινε. Κατέσκηπτε γὰρ καὶ ἐς τὰ αἰδοῖα, καὶ ἐς ἄκρας χεῖρας καὶ πόδας· καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τούτων διέφευγον· εἰσὶ δ' οἱ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν. Τοὺς δὲ καὶ λήθη ἐλάμβανε παραυτίκα ἀναστάντας τῶν πάντων ὁμοίως, καὶ ἠγνόησαν σφᾶς τε αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐπιτηθεῖους.

Γενόμενον γὰρ κρεῖσσον λόγου τὸ εἶδος τῆς νόσου, τά τε ἄλλα χαλεπωτέρως ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπεῖαν φύσιν προσέπιπτεν ἐκάστω, καὶ ἐν τῷδε ἐδήλωσε μάλιστα ἄλλο τι ὄν ἢ τῶν ξυντρόφων τι· τὰ γὰρ ὄρνεα καὶ τετράποδα, ὅσα ἀνθρώπων ἄπτεται, πολλῶν ἀτάφων γιγνομένων, ἢ οὐ προσήει, ἢ γευσάμενα διεφθεῖρετο. Τεκμήριον δὲ, τῶν μὲν τοιούτων ὀρνίθων ἐπίλειψις σαφῆς ἐγένετο, καὶ οὐχ ἑωρῶντο οὔτε ἄλλως, οὔτε περὶ τοιοῦτον οὐδέν· οἱ δὲ κύνες μᾶλλον αἰσθησιν παρεῖχον τοῦ ἀποβαίνοντος, διὰ τὸ ξυνδιαιτᾶσθαι.

Τὸ μὲν οὖν νόσημα, (πολλὰ καὶ ἄλλα παραλιπόντι ἀτοπίας, ὡς ἐκάστω ἐτύχχανέ τι διαφερόντως ἐτέρῳ πρὸς ἕτερον γιγνόμενον,) τοιοῦτον ἦν ἐπίπαν τὴν ιδέα· καὶ ἄλλο παρελύπει κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον οὐδέν τῶν εἰωθότων· ὃ δὲ καὶ γένοιτο, ἐς τοῦτο ἐτελεύτα. Ἐθνησκον δὲ οἱ μὲν ἀμελεία, οἱ δὲ καὶ πάνυ θεραπευόμενοι· ἐν τε οὐδέν κατέστη ἴαμα, ὡς εἰπεῖν, ὃ τι χρῆν προσφέροντας ὠφελεῖν· τὸ γὰρ

terno ardori succumbere, aliquid virium adhuc retinentes, aut si hoc temporis spatio praeterito, mortem vitassent; tamen, quia morbus in ventrem inferiorem descendebat et exulceratio vehemens in ipso nascebatur, simul etiam, quia immodicum alvi profluvium invadebat, plerique postea debilitate perire. Morbus enim, qui primas in capite sedes collocarat, per totum corpus, initio a summis partibus ducto, pervadebat. Et si quis ex maximis illis periculis evasisset, extremarum tamen corporis partium mutilatio, eum hoc morbo laborasse testabatur. Nam in ipsa quoque pudenda, et in summas manus summisque pedes prorumpebat, multique his membris capti mortem vitarunt: nonnulli etiam oculis amissis. Aliquos etiam, simulac ex morbo convaluerunt, statim omnium rerum oblivio pariter cepit, ita ut neque se ipsos, neque necessarios cognoscerent.

Cum enim hoc morbi genus multo fuerit atrocius, quam quod oratione possit exprimi et aliis in rebus gravius, quam ut humana natura ferre posset, singulos invasit, ac etiam hoc indicio maxime declaravit, se aliquid aliud esse, quam aliquod familiare. Nam alites et quadrupedes, quotquot humanis cadaveribus vesci solent, cum multa jacerent insepulta, aut non accedebant, aut si gustassent, interibant. Argumento autem hoc est, quod hujusmodi avium manifestus fuit defectus; nec uspiam alibi, nec circum ulla hujusmodi animalia visebantur. Canes vero, propter consuetudinem, quam cum hominibus habebant, majorem eventus significationem dabant.

Hic igitur morbus (ut omittam multa alia insolitae atrocitatis, prout unicuique aliquid accidebat diversum ab eo, quod alteri contingebat) omnino specie talis fuit. Et tunc temporis nullus alius morbus ex consuetis Athenienses infestabat. Quod si quis exoriretur, in hunc desinebat. Moriebantur autem alii incuria, alii vero, vel diligentissime curati. Nec ullum prorsus remedium, ut ita loquar, reperiuntur, quod adhibitum prodesset. Quod enim

τω ξυνενεγκόν, ἄλλον τοῦτο ἔβλαπτε· σῶμά τε αὐταρκές ὄν οὐδὲν διεφάνη πρὸς αὐτὸ, ἰσχύος πέρι ἢ ἀσθενείας, ἀλλὰ πάντα ξυλήρει, καὶ τὰ πάση διαίτῃ θεραπευόμενα. Δεινότατον δὲ παντὸς ἦν τοῦ κακοῦ, ἢ τε ἀθυμία, ὁπότε τις αἰσθοίτο κάμνων, (πρὸς γὰρ τὸ ἀνέλπιστον εὐθύς τραπόμενοι τῇ γνώμῃ, πολλῶ μᾶλλον προίεντο σφᾶς αὐτούς, καὶ οὐκ ἀντεῖχον,) καὶ ὅτι ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, ὥσπερ τὰ πρόβατα, ἔθνησκον· καὶ τὸν πλειῆστον φθόρον τοῦτο ἐνεποίει. Εἴτε γὰρ μὴ θέλοιεν, δεδιότες ἀλλήλοις προσιέναι, ἀπώλλυντο ἔρημοι· καὶ οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν ἀπορία τοῦ θεραπεύσοντος· εἴτε προσίοιεν, διεφθείροντο· καὶ μάλιστα οἱ ἀρετῆς τι μεταποιούμενοι. Αἰσχύνη γὰρ ἠφείδουν σφῶν αὐτῶν, ἐσιόντες παρὰ τοὺς φίλους, ἐπεὶ καὶ τὰς ὀλοφύρσεις τῶν ἀπογιγνομένων τελευτῶντες καὶ οἱ οἰκειῶι ἐξέκαμνον, ὑπὸ τοῦ πολλοῦ κακοῦ νικώμενοι. Ἐπιπλέον δὲ ὅμως οἱ διαπεφευγότες τὸν τε θνήσκοντα καὶ τὸν πονούμενον ὠκτίζοντο, διὰ τὸ προειδέναι τε, καὶ αὐτοὶ ἤδη ἐν τῷ θαρσαλέῳ εἶναι. Δίς γὰρ τὸν αὐτὸν, ὥστε καὶ κτείνειν, οὐκ ἐπελάμβανε· καὶ ἐμακαρίζοντό τε ὑπὸ τῶν ἄλλων, καὶ αὐτοί, τῷ παραχρῆμα περιχαρεῖ, καὶ ἐς τὸν ἔπειτα χρόνον ἐλπίδος τι εἶχον κούφης, μηδ' ἂν ὑπ' ἄλλου νοσήματος ποτὲ ἔτι διαφθαρήναι.

---

alteri profuerat, hoc ipsum alteri nocebat: nullumque corpus, sive firmæ sive infirmæ valetudinis esset, tanti mali violentiæ resistere potuit: sed omnia pariter, vel ea, quæ omni victus ratione curabantur, corripiebat. Illud vero in toto hoc malo gravissimum erat, tum quod, simulac quis se morbo correptum sensisset, animo consternaretur, (statim enim animo ad salutis desperationem conversi, multo magis se ipsos projiciebant, neque resistebant) tum etiam, quod propter mali contagionem, quam alter ex alterius curatione hauriebat, adeo ut ex ea oppleretur, tanquam pecudes morerentur. Atque hæc fuit præcipua maximæ stragis causa; sive enim nolissent metu deterriti mutuo se invisere, deserti interibant, multæque familiae propter inopiam hominum, qui aegrotos curarent, exhaustæ sunt: sive alteri ad alteros adissent peribant; præcipue vero, qui aliquam virtutis partem sibi vindicabant. Nam præ pudore sibi ipsis non parcebant, dum in amicorum aedes ingrediebantur, ut eos inviserent; siquidem vel ipsi domestici tandem lamentationibus eorum, qui moriebantur, defatigati, non amplius commovebantur, mali violentia superati. Illi tamen, qui evaserant, et eum, qui moriebatur, et eum, qui laborabat, magis miserabantur, tum quod hoc malum prius experti cognoscerent, tum etiam quod ipsi in tuto jam essent. Hic enim morbus eundem bis non corripiebat, ita ut eum etiam interimeret. Et ab aliis beati censebantur, ipsique propter præsentem salutis insperatæ lætitiæ exsultantes, quandam etiam levem spem habebant, se né alio quidem morbo in posterum amplius unquam absumtum iri.

---

Hippocratem, qui eadem illa aetate floruit, morbo grassante Athenis esse versatum, non habeo, quod testimoniis ex historia haustis satis exponam. Fuerunt autem, qui aegrorum complurium in Astutorum foro (ἐπὶ ψευδέων ἀγορᾶ) decumbentium historiis ab Hippocrate in libro de morbis popularibus tertio relatis uterentur, quibus illud demonstrarent, documentis. Fructus Galeni autoritate, qui luem istam ex Aethiopia Graecos infestantem lignorum incendiis per totam civitatem factis delere Hippocratem studuisse testatur, hoc quidem persuasum habeo, quod aliis in Graeciae regionibus eundem vidit pestilentem morbum ipsumque descripsit in libro supra commemorato. Febres enim exitiales in Thaso, insula prope Thraciae oras sita, Abderae aliisque in urbibus et insulis, quae potissimum sunt obviae contagiis ex Africa migrantibus, grassatas esse memoriae prodit.

Tempestatum constitutionis, qualis isto fuerit anno, Thucydidem nullam fecisse mentionem, dolendum est. Quod enim certiores nos reddidisset, quantum illa valuerit ad gignendum morbum popularem. Immunem autem morbis annum fuisse, refert autor; ex quo argumentari licet, per totam hiemem haud iniquam obtinuisse coeli temperiem. Quodammodo hoc congruit cum tempestatis relatione, quam Hippocrates in Libro III. de morbis popularibus tradidit. „*Quum esset*“, inquit, „*annus austrinus, humidus, per hiemem quidem sani degebant; ante ver autem febres ardentes et phrenitides coepere.*“ Sed de his infra latius disseremus; jam transeamus ad rem ipsam. —

In animo mihi est, ut conferenda pestis Atheniensium descriptione cum febribus ab illo commemoratis omnino eundem, quem Thucydides et Hippocrates adumbrarunt, morbum fuisse demonstrem. Quod autem mihi ita agendum esse reor, ut signa morbi ab utroque autore relata comparem singula; quo facto cuique patebit, quibus rebus differant atque consentiant scriptorum primus ac medicorum princeps.

---

## SECTIO PRIMA.

---

*Singuli utriusque autoris loci comparantur, aliaque nonnullae Thucydidis locorum interpretationes adduntur.*

[εἰ δέ τις καὶ προέφημνέ τι] Propria est febribus stationariis potentia illa, qua in omnes morbos tum febriles tum non febriles ita dominantur, ut suam naturam plus minusve iis impertiant. Talis autem erat aethiopicus ille morbus, qui incertis temporibus gignebatur ex peculiaribus quibusdam causis, quas infra commemorabimus. Affectiones illas morbosas (ἀτοπίας), quas, si forte singulis inciderant, grassante peste in hanc ipsam transmutatas esse Thucydides refert, easdem, quarum Hippocrates mentionem facit, arbitror fuisse: anginam nempe, pleuritidem, dysenteriam, diarrhoeam, imprimis autem erysipelas. Tubercula in pudendis, memorat, oris ulcera, lippitudines pariter ac carbunculos (ἀνδρανας) evasisse

adeo malignas, ut vel febres ardentes nec non phrenitides excitarent; verum non morbos solum, sed laesiones etiam fortuitas degenerasse in tantam malignitatem, ut erysipelas in toto corpore eruperit; erysipelas autem induxisse febrem ardentem. Quae vero in quacunq̄ue et typhi contagiosi et pestis ipsius inguinariae epidemiā obvenire omnino omnia, id satis demonstrat morborum popularium historia.

[τῆς κεφαλῆς θερμαὶ ἰσχυραὶ] non i. q. πυρετὸς (febris) ut Timaeus Lexic. voc. Plat. p. 139. Edit. Ruhnk. explicat. Lucretius autem hunc locum recte vertit.

Principio caput incensum fervore gerebant <sup>1)</sup>). Febres enim hujus generis ab aestu capitis et turgore faciei atque rubore, sanguinis impetu in caput, maxime in cerebrum ipsum excitato, solent exordiri.

[κατέβαινεν - πόνος] πόνος non, ut interpretatores nonnulli volunt, eandem, quam dolor, vim habet, sed ipse potius morbus est intelligendus, qui, postquam descenderat in pectus, affectionem, quam dicunt, catarrhoso-phlegmonosam progenuit.

[ἐς τὴν καρδίαν] Hanc vocem plurimi vertunt *cor*, prae primis Lucretius:

Inde ubi per fauces pectus complerat et ipsum

Morbida vis in cor moestum confluxerat aegris —

Lambinus ad Lucret. et Hieronym. Mercur. I., var. lect. 1. putant, Lucretium potius imitatione Graecorum *cor* pro ventriculo dixisse. Esto! Sed Sarazenus Lugdunaeus et Fr. Hoffmannus, Thucydidis de peste interpretores iique medici, Lucretium imitantes

1) *Lucr. de rerum natura Lib. VI. 8. Edit. Eichstaedt.*



imitantes *cor* verterunt, non aliter ac nescirent, medicos Graecorum veteres ipsumque Hippocratem pariter ac artis medicae imperitos verbo „καρδία“ modo *cor*, modo ventriculi os et ventriculum ipsum significasse, fortan regionem etiam ventriculi, quemadmodum Germanos, apud quos scrobiculus ventriculi „*Herzgrube*“ sonat, et Romanos, qui eandem corporis humani partem *scrobiculum cordis* nuncupant. Ex multis librorum Hippocratis locis, quibus καρδία pro „στόμαχος“ i. e. *os ventriculi ipseque ventriculus* ponitur, allego huncce: „Καρδίας πόνος ἄμα ὑποχονδρίῳ συντόνω καὶ κεφαλαλγίῃ, κακότηδες“ 2).

[ἀνέστρεφε αὐτήν] i. e. affectio morbosa erat talis et tanta, ut ad motum abnormem, perversum s. antiperistalticum excitaretur ventriculus.

[καὶ ἀποκαθάρσεις πᾶσαι] Thucydides his verbis indicat materiaram biliosarum evacuationes, imprimis per vomitum factas: quae inter se differebant et colore et odore atque sapore. Hippocrates enumerat vomitus coloris et prasini et flavi et aeruginosi et lividi vel nigri, odoris autem foetidi vel subputridi et putridi. Sapore sunt illae plerumque acres, corrodescentes, raro mitiores in febribus typhosis.

[μετὰ μεγάλης ταλαιπωρίας] Fr. Hoffmannus vertit: summa cum defatigatione; alii autem cum ingenti cruciatu. Equidem vocī „ταλαιπωρία“ vim utriusque versionis inesse arbitror. Quod quidem demonstrat morbis ejusmodi decumbentium observatio.

[λύξ κενή] pro κενή Lambinus πυκνή ponendum esse censet, ductus autoritate Lucretii, qui in poëmate suo dixit:

2) *Praedictorum Lib. I. 9.*

Singultusque frequens noctem persaepe diemque  
Corripere assidue <sup>3)</sup>).

Imo ignoscas licentiae poëticae! Sine dubio Lucretius usus est Hippocratis verbo, qui in historia morborum 12. (Lib. III. de morb. pop. Sect. I.) feminam quandam <sup>4)</sup>, quae post partum editum febre ardente correpta in Astutorum foro decubuit, hisce laborasse affectionibus refert: ἡμεσε πολλὰ, μέλανα, δυσώδεα· λυγμὸς πουλὺς, δίψος ἐπιπόνως. — Alia enim quaedam Lucretius ex Hippocratis libris carpens, verbis reddidit ipsissimis:

In manibus vero nervei trahere et tremere artus <sup>5)</sup>:  
A pedibusque minutatim succedere frigus <sup>6)</sup>  
Non dubitabat: item ad supremum denique tempus  
Compressae nareis: nasi primoris acumen  
Tenue; cavatei oculiei; cava tempora; frigida pellis  
Duraque; inhorrebat rictum, frons tenta meabat <sup>7)</sup>).

3) *Lucr. l. c.*

4) *Qua in civitate femina illa habitaverit, de hoc veteres Hippocratis interpretores disputasse videntur. Galenus enim in Commentar. 2. in Libr. III. H. de m. pop. annotat: 'Εἶτ' Ἀθήνησιν ἐν τῇ τῶν Κερκώπων ἀγορᾷ κατέκειτο τοῦτο τὸ γύναιον, εἶτ' ἐν ἄλλῃ πόλει, ζῆτεῖν ἄλλοις ἐπιχωροῦμεν.*

5) *Lucr. l. c. V. 1189 — 1194.*

6) *Cfr. Hipp. histor. morb. in Libr. I., II., III. de morb. pop.*

7) *Cfr. Hipp. in prognostic: ῥίς ὀξεῖα, ὀφθαλμοὶ κοῖλοι, κρόταφοι συμπεπτωκότες, ὦτα ψυχρὰ καὶ συνεσταλμένα, καὶ οἱ λοβοὶ τῶν ὠτων ἀπεστραμμένοι, καὶ τὸ δέρμα τὸ περὶ μέτωπον σκληρὸν τε καὶ περιτεταμένον καὶ καρφαλέον ἔον.*

Ex his argumentor, Lucretii poëtae auctoritati nimis indulgere Lambinum, quod vocem *κενή* transmutandam esse in *πυκνή* arbitratus est; cum a verbis Nostri saepius illum recessisse liqueat. — Gottleberum autem, qui Lambini lectionem repudiare conatur, contendisse: „*λύξ per se est singultus frequens*“ approbare non possum; namque et *λύξ* et *singultus* significat motus convulsivos diaphragmatis singulos, qui tales sunt, ut inspirationem inducant violentam rapideque transeuntem. Tentemus igitur ipsi, ut vocem *κενή* defendamus et interpretemur.

Satis nota est sententia medicorum Coicorum illa: *Σπασμοὶ γίνονται ἢ ὑπὸ πληρώσιος ἢ κενώσιος· οὕτως δὲ καὶ λυγμός* <sup>8)</sup>). Verbum igitur *κενή* eandem, quam Hippocratis „*ὑπὸ κενώσιος*“ vim habere, in aprico mihi esse videtur; optime enim hoc congruit cum ratione, qua Thucydides utebatur, pressis verbis loquendi.

Num fortasse autor captus erat medicorum veterum errore, qui singultum esse vim ventriculi expultricem opinabantur, i. e. cui impetus insit, materias, quae in ventriculum pervenerint, crudas acresve, imprimis vero biliosas ex duodeno in illum effusas expellendi? Quod si concessum est, verbis „*λύξ κενή*“ Thucydidem significare voluisse motum ventriculi irritum <sup>9)</sup>, i. e. qui nihil ejicit, quia omnia jamjam sunt ejecta, mea fert opinio. Quo quidem

---

8) Hippocr. in complur. locis.

9) Quemadmodum tenesmus dysentericus facta dejectione vexare non desinit, quia irritatio in tunicam recti mucosam saevire pergit morbosa.

errore Galenus ipse, qui sexcentis fere annis post floruit, inductus contendit: „Οἷόν τι πάθος τοῖς μυσίν ὁ <sup>10</sup>) σπασμὸς ἐστίν, τοιοῦτον ἐν τῷ στομάχῳ γίννεται ἢ λύγξ“ <sup>10</sup>). Alicubi, *se ipsum*, narrat, *singultu illico affligi, si piperis aliquando immodicam ingesserit quantitatem. Quod aliis quibusdam*, addit, *quibus facilis erat oris ventriculi sensus, acciderit* <sup>11</sup>).

Singultus autem, quatenus est symptomaticus, in quacunque febre maligna apparens infaustissimumque praebens omen, duabus excitatus est causis in Atheniensium peste: praecipue materiis biliosis in ventriculum effusis, quas in febribus typhosis praesertim in iis, quae ex biliosis abeunt in putridas, experientia docet tantopere esse degeneratas, ut acrimoniae instar venenatae non ventriculum solum quam atrocissime irritent, eoque ipso septum transversum illi conjunctum per sympathiam quandam organicam magnopere laedant excitentque ad motus convulsivos, sed tunicam oesophagi etiam orisque intimam non raro inflamment corrodantque. Neque vero minoris ad gignendum singultum momenti est evacuatio ipsa magnae fluidorum copiae, repentinaque, quam illa inducit, corporis exinanitio. Secretiones enim et excretiones, quaecunque sint, profusae, v. g. immodicae seminis virilis vel lactis feminei effusiones, deinceps dysenterici, imprimis autem magna sanguinis jactura summam systematis nervosi subito afferunt turbationem eaque ipsa convulsiones et locales et universales.

10) G. in Aphor. Hipp. Comment. 7.

11) De usu part. corporis hum. L. III. C. 5.

[σπασμὸν ἐνδιδούσα ἰσχυρὸν] Convulsiones universales i. e. musculorum omnium, praecipue voluntati indulgentium, eandem, quam singultus, habent dignitatem in ejusmodi febribus (quod quidem ex supra dictis colligi potest). Saepius enim singultum aliasque convulsiones locales, quodsi diutius persistent, sequuntur universales. Itaque singultus ita se habet ad convulsiones omnium musculorum, sicut trismus ad tetanum: ille enim est praecursor neque vero causa spasmi universalis, qui nervorum turbationis ad altiore gradum evectae testis apparet. Quid igitur verbum „ἐνδιδούσα“ sit intelligendum, satis liquet. Medicis enim hic verborum patebit sensus: quem sequebantur convulsiones vehementissimae. Neque per linguae graecae usum haec non licebit interpretatio.

[οὐκ ἄγαν θερμὸν ἦν <sup>12)</sup>] In febribus putridis, quo magis viscera laborant intima, eo minorem cutis

---

12) Haec, opinor, aliqua ex parte Galeno ansam dedisse ad sermonem huncce (V. De difficultatibus respirationis Libr. II. Cap. 7.): δοκοῦσι γὰρ οἱ παλαιοὶ πάντα τὰ τοῖς νοσοῦσι συμβαίνοντα γράφειν αὐτὸν (sc. Ἴπποκράτην), ὡσπερ καὶ τὸν Θεουκιδίδην· ἔχει δὲ οὐχ οὕτως, ἀλλ' αὐτὸ δὴ τοῦτο τὸ ἐναντιώτατον ὑπάρχει τοῖς Ἴπποκράτους γράμμασι πρὸς τὰ Θεουκιδίδους· ὁ μὲν γὰρ πάντα γράφει, τὰ καὶ τοῖς ἰδιώταις γνώρισμα, μηδὲν ὅλως αὐτῶν παραλιπὼν ὁ Θεουκιδίδης· ὁ δὲ Ἴπποκράτης ὀλίγα μὲν τούτων, ὅσα πρὸς ἄλλην τὴν διάφεσιν, καὶ ἦν ἐκινδύνευσεν ὁ κάμνων, διαφέρει πάμπολλα δ' ἄλλα τοῖς ἰδιώταις μὲν παρεωραμένα, τεχνικὴν δὲ πάνυ καὶ ἀκριβῆ τὴν διάγνωσιν παρεχόμενα καὶ δυνάμενα πολλάκις καὶ αὐτοὺς τοὺς ἀρίστους ἰατροὺς λαθεῖν· οὗτος δὲ ὢν ταχύς ἐν τῷ ἐρμηνεύειν καὶ μηδὲν, ὅτι μὴ καὶ μεγάλως ὀνήσει, γράφειν

expellit calorem, quia vis omnis vitalis a corporis superficie recessit ad intestina. Signum hocce pessimae est notae multoque pejor quam calor sic dictus mordax. Hippocrates secundum diversos caloris gradus, quales in febribus, cujuscunque sint generis, sese exhibent malignis, has ipsas dividit: „Πυρετοὶ οἱ μὲν δακνώδεις τῇ χειρὶ, οἱ δὲ πρηεές· οἱ δὲ οὐ δακνώδεις, ἐπειναδιδόντες δὲ· οἱ δὲ ὀξέες μὲν, ἐπειναδιδόντες δὲ· οἱ δὲ ὀξέες μὲν, ἠττόμενοι δὲ τῆς χειρὸς· οἱ δὲ περικαέες αὐθέρως· οἱ δὲ διὰ παντὸς βληχροὶ, ξηροί“<sup>13</sup>). Quoad prognosin in hujuscemodi febribus proponit has sententias: Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, εἰάν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖν, τὰ δὲ ἔνδον καλὴ καὶ δίψην ἔχει, θανάσιμον<sup>14</sup>). Alio in loco: Ἐν τοῖσιν ὀξέσι νοσήμασι ψύξις ἀκρωτηρίων, κακόν<sup>15</sup>).

[οὔτε χλωρόν, ἀλλ' ὑπέρυθρον] Quod Reiskio non placuit; malit: „οὐκ ἄγαν θερμόν ᾖν, οὔτε ὑπέρυθρον, ἀλλὰ χλωρόν;“ sed male. Thucydides enim, quantum mea fert opinio, id potissimum tentat, ut, quibus pestis illa signis differat a communi febrium ardentium genere, exponat atque demonstret. Hae autem, et calorem vehementem evolvunt et pallidum exhibent cutis calorem. — Voce „ὑπέρυθρον“

---

ἀξιῶν, δόξεισσι πάλιν ἐξεστάναι τῶν οἰκείων φρενῶν, ὅταν τὰ μὴ δ' ὅλως γιγνόμενα τῷ νοσοῦντι γράφει, τοῦτ' αὐτὸ προσδηλῶν, ὅτι μὴ ἐγένετο. ὁ γὰρ καὶ τῶν γιγνομένων τὰ πλεῖστα παραλείπων, οὐκ ἂν δόξειε τοῖς μὴ γιγνομένοις διατρίβων παραπαίειν.

13) Libr. VI. de morb. epidem.

14) Aphorism. Sect. IV., 48.

15) Eodem l. Sect. VII., 1.

scriptor significat rubedinem cutis illam, quam recentioris aetatis medici nuncupant exanthema typhosum „*morbillis summe analogum, papulis autem magis elevatis, magis irregularibus, cuti non tumidae, non inflammatae, sed rubellae, marmoreo-variegatae insidentibus, non pruriens, non ardens*“<sup>16)</sup>).

[πελιδνόν] = μολυβδοειδές (lividum) colorem notat istum, in quem abire solet rubedo typhosa.

Rubedinis illius Hippocrates in libro s. c. vix mentionem facit nisi in morborum hist. 7. Sect. 3., quo in loco virginem quandam in Abderis febre ardente decumbentem, laborasse refert affectionibus hisce: ἄση (anxietas) πολλή, ἔρευθος etc. Lividas autem fuisse extremas partes (ἄκρεια πελιδνὰ καὶ ψυχρὰ) saepius memorat.

[Φλυκταίνας μικραῖς καὶ ἔλκεσιν] De his infra disseremus.

[τὰ δὲ ἐντὸς] Inepte Schol. interpretatur: τοῦ στόματος δηλονότι. Thucydides vult intelligi viscera, quae opponit corporis superficiei, intima sc. τῷ διαφράγματι ὑποκειμένα, quae superiore abdominis parte continentur.

[ἢ ἀπορία τοῦ μὴ ἡσυχάζειν] i. q. jactatio corporis. Hippocrates utitur his verbis: πουλὺς βληστρισμὸς; porro: ἀνέχειν οὐ δύναται (sc. ἄρρώστος).

[ὑπὸ τοῦ ἐντὸς καύματος] Optime significat Noster morbi atrocissimi exitum; namque febres hujus generis, putridae dictae, partium intimarum, quae in-

16) Hildenbr. Institut. practico-med. Tom. I. p. 515.

flammatione sunt afflictae, gangraenam gignentis vitam derepente tollunt. Partes autem, quae incidere solent in hanc labem, sunt: peritonaeum, imprimis omentum majus, ipse ventriculus intestinorumque tractus, rarius: hepar, lien ceteraque organa.

[ἔχοντες τι δυνάμειος] Indigitat repentinam ex gangraena mortem.

[τοῦ νοσήματος] Schol. interpretatur: τῆς δυσεντερίας; sed temere: febribus enim typhosis proprium est, inflammationem tunicae intestinorum mucosae sic dictam ulcerosam gignere, quam scriptorum sagacissimus divinatione quasi inductus verbo aptissimo „ἔλκωσις“ significavit. Dysenteriam quoque meram febribus illis saepius supervenire, non nego. Quod singulis quidem febre correptis accidisse, Hippocrates testatur<sup>17)</sup>. — Ulcerationem tunicae intestinorum mucosae corpora febribus ejusmodi defunctorum quam accuratissime dissecando primus deprehendit Broussaeus, diligentissimus Pathologus indefessusque rerum anatomicarum indagator, nostraque florens aetate illud, quod Thucydides multis ante seculis divinavit, clare demonstrans.

[κατέσηπτε - ἐς τὰ αἰδοῖα καὶ ἐς ἄκρας χειῖρας] — sc. inflammatio impura seu erysipelaceae similis, subito transiens in gangraenam et sphacelum, quo facto pars afflicta cinereo, fusco aut atro tingitur colore, dein vesiculae sanie repletae, quae in cute elevantur, ruptae pessimum effundunt ichorem, finitima corrumpentem atque depascentem, ut pars liquefacta

17) Libr. III de morb pop. Sect. 2.



sensim sensimque defluat decidatque. Rarius ista membra sphacelo pereunt sicco; quo correpta in aridam exsiccantur escharam ac mumiae speciem prae se ferentes desciscunt a corpore materno. Hippocrates (l. c.) sphacelum humidum febribus supervenientem hisce delineat verbis: „Πολλοῖσι μὲν γὰρ βραχίων καὶ πῆχυς ὅλος περιεβρύη· οἷσι δ' ὅλος ὁ μηρὸς ἢ τὰ περὶ κνήμην ἀπεψιλοῦτο καὶ πούς ὅλος. ἦν δὲ πάντων χαλεπώτατον τῶν τοιούτων, ὅτι περὶ ἧβην καὶ αἰδοῖα γενόιατο.“ Est autem verisimile, medicos abscindendo artus, imprimis pudenda, *prohibere*, quin prorepens ad intima vitam ipsam exstingueret malum, tentavisse; ergo Lucretius ita interpretans:

Et graviter partim metuentes limina lethi  
Vivebant ferro privati parte virili <sup>18)</sup>).

non reprehendendus est.

[εἰσὶ δ' οἱ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν] Sprengelius <sup>19)</sup> oculorum jacturam a Thucydide notatam intelligi vult amaurosin i. e. illum morbum, quo acies quidem perdita, oculi autem forma servatur integra. In errorem incidisse virum doctissimum, opinor; potius enim certum habeamus oportet, inflammatione maligna periisse oculos, pedum manuumque adinstar. Ipse refert, hasce oculorum affectiones phreniticis accidisse, Hippocrates (l. c.): „Ὀφθαλμοὶ ὑγροὶ, μακροχρόνιοι, μετὰ πόνων· ἐπιφύσιες βλεφάρων ἔξωθεν, ἔσωθεν, πολλῶν φθειρόντες τὰς ὀφθιας, ἀ σύκα ἐπονομάζουσιν.

18) *Lucr. l. c. V. 1207* — 8.

19) *Sprengel, Beiträge zur Geschichte der Medizin.*

[τὰ γὰρ ὄρνεα καὶ τετράποδα] In saevissima quaque peste non raro evenit, ut bestiae duce sua natura hominum effugiant domicilia. Livius<sup>20)</sup> quoque morbum quendam pestilentem anno 174. a. C. in Romanos saevientem commemorans haec refert: „*Cadavera intacta a canibus ac vulturibus tabes absumebat; satisque constabat nec illo nec priore anno in tanta strage boum hominumque vulturium usque visum.*“ Idem Hafniae observatum est anno 1523, quo pestis grassabatur. Aves effugere ita festinaverunt, ut pullulos suos miseros ovaque impie desererent, suo Marte evasurae pernicie, quam inquinatum genus hominum hiabat<sup>21)</sup>. Sin autem bestiae, natura sua minus vigilante, cadavera peste defunctorum petunt adeoque comedunt, rapida pereunt morte. Quod in Anglia accidit anno 1516, quo febris ista sudatoria pecudumque lues socia di-ram intulit animantibus stragem. Cadavera quum corvi canesque adierint, subito ceciderunt<sup>22)</sup>.

[πολλὰ καὶ ἄλλα παραλιπόντι] scilicet varietates illius morbi et a natura singulorum peculiari (*Individualität*) et a tempore, quo unusquisque morbo erat correptus, pendentes. Morbus enim quisque epidemicus isque contagiosus urbem aliquam invadens aliam exhibet speciem, quam urbe discedens. Ad hunc locum infra provocabimus.

[ἐπίπαν τὴν ιδέαν] interpretatur Schol.: φύσιν. Nego: ιδέα enim eandem vim habet, atque imago

20) Liv. L. XLI, C. 21.

21) Schnurrer Chron. d. Epid. II. p. 69.

22) Ead. l. p. 65.

seu externa species; internam enim morbi naturam autor explicare noluit (cfr. Cap. 54.) Germani pro vocibus „ἐπίπαν τὴν ἐδέαν“ utuntur verbo: *Total-Bild*:

---

## SECTIO ALTERA.

---

### *Disquisitio de natura et origine morbi Atheniensium.*

---

#### C A P U T I.

*Thucydidis ratio morbum describendi comparatur cum Hippocratis tractatu de febribus popularibus.*

Atheniensium morbum a Thucydide descriptum si conferimus cum febribus illis, de quibus Hippocrates in libro supra commemorato generatim et universim locutus est, de febre nimirum ardente nec non phrenitide eodem circiter tempore vel eodem anno grassantibus et cum morborum historiis eodem libro relatis, id maxime nobis videtur manifestum, autores quidem magnopere dissentire de morborum origine, morbos autem ipsos, de quibus agunt, revera maxime congruere. Thucydides nempe Atheniensium febrem ex specifico quodam contagio ab Afris emigrante ortam esse existimans, universam illius speciem litteris mandat; qua ex causa singulis incidentia omittit symptomata. Hippocrates autem eminentiora potissimum urgens febrium signa, neque agnoscens peculiare quoddam miasma ex peregrinis

mergens regionibus, morbum populariter grassantem sejungit in complures, quos autem omnes ex infausta aëris constitutione praesertim ex tempestatum conditione duxisse docet originem. Describit igitur erysipelas malignum (quod Atheniensium quoque singulis febris aethiopicae et praecessisse et illam esse secutum haud dubito (cfr. p. 7.); dein febres proprie sic dictas ardentes i. e. tales, quae phrenitidis quidem signis carentes, sopore tamen in paroxysmis, maxime autem sensu aestus interni immodicaque siti insignes se exhibuerunt. Porro refert ille phrenitides, febres scilicet eas, quarum eminentissimum maximeque urgens signum evasit cerebri excitatio summaque turbatio, quae delirio sese prodit atque typhomania, cum contra sensus communis integritas et impulsus animales, e. g. sitis, magis sint prostrati quam in febribus illis ardentibus. Denique anginas rapide decurrentes et dysenterias admodum malignas, memorat, obvenisse. — Longe autem eo dissentit a Thucydide, quod ille omnes alvo esse sublatos refert, cum hic distincte dicat, gangraenae intimarum partium succubuisse plerosque, alios vero exulceratione tunicae intestinorum mucosae facta immodicae incidentes diarrhoeae diem obiisse. — Imprimis est notandum, quod tumores circa inguina i. e. bubones singulis apparuisse testatur Hippocrates. Lubenter quis mihi concedet, hos tumores a Thucydide ex industria neglectos esse, si qui forte Atheniensium singulis evaserint (cfr. supra dictum: πολλὰ καὶ ἄλλα παραλιπόντι). Praeterea duorum, quae febribus Hippocratis acciderunt, signorum ex cerebri perturbatione prodeuntium, omnino nullam facit mentio-

nem Noster: delirii nempe et typhomaniae. Sitim contra notat tantaleam. Ex quo satis intelligitur, nonnisi febrem Hippocratis ardentem illum descripsisse. Unicam tamen animi perturbati mentisque laesae signum memoriae prodit: animi defectum (ἀθυμῶν) et desperationem, quibus initio inciderint morbo correpti.

---

## C A P U T I I.

*Differentiae inter morbum Atheniensium et illum ceterorum Graecorum, si qua acciderit, causa exponitur.*

Quodsi concessum est, utrumque morbum ex eodem fonte fluxisse, atheniensem vero aliqua ex parte discessisse a morbo aliarum Graeciae regionum, arbitror, singularem urbis Atheniensium conditionem, immensam nempe hominum intra muros coërcitorum, praecipue vero corporum insepultorum ac in via jacentium copiam, quibus putrefactis aër summum ad modum est inquinatus, eximiam fuisse differentiae causam. Contagia quidem, quocunque terrarum penetrarint, suam servare indolem, speciem tamen eorum, imprimis autem malignitatem paullisper immutari domesticis quibusdam causis, satis constat. Ipsius enim pestis nec non typhi contagiosi historia affirmat illam sententiam. Londini ante annum 1666, quo major urbis pars incendio est deleta, pestis inguinarum brevibus temporum intervallis incolas, et primum quidem maximeque eos, qui in angiportibus et tuguriis humidis angustisque degebant, tentavit graviusque afflixit. Post annum modo relatam,

quum urbs in melius restituta esset, pestis rarius invadere coepit, posterioribus omnino parcens temporibus<sup>23</sup>).

---

### C A P U T I I I.

*Atheniensium febrem maxime similem esse typho contagioso, conceditur; quomodo autem differat illa, demonstratur.*

Si quaeritur, cuinam febrium generi sit accensendus Atheniensium morbus, nemo, cui de hac re judicare convenerit, negabit, illum, si totum decursum et symptomata ab autore relata spectes, maxime esse affinem typho contagioso eique putrido. Quod praecipue comprobatur animi defectus omniumque rerum desperatio, quibus aegri erant afflicti, morbo primum irruente; dein signa, quae dicunt, catarhoso-phlegmonosa; tum vomitus biliosi, praesertim vero typus morbi septenarius i. e. terminatio morbi diebus criticis facta, denique exitus, quibus typhus bellicus finiri solet, varii, internarum et externarum partium gangraena. Mitiore jam facta contagii potentia, morbus antea rapide decurrens abiisse videtur in lentum diuturnumque. Tali enim morbo, qui neque acer neque acutus (οὐκ ὀξεῖα, ὡςπερ ἄλλων, οὐδὲ σύντονο.) fuit, sed diuturnus saepiusque alternans corpus sensim sensimque confecit (καὶ μῆκος ἐν ποικίλαις ἐχούσῃ μεταβολαῖς διαχρωμένῃ τὸ σῶμα χολαίως), correptus princeps ille Atheniensium tardae succubuit

---

23) *The history of great Britain, Volum. II. p. 172 — 173.*

morti <sup>24</sup>). Hujusmodi febris typhosae species apud medicos sonat *febris nervosa versatilis*. — Satis autem distinguit morbum a communi typhi bellici genere exanthema illud, quod autor *φλύκταιναι καὶ ἔλκεα* denotat, neque minus oculorum gangraena atque pudendorum, quae omnino propria apparent signa peregrinamque morbi originem clare indicant.

---

#### C A P U T I V.

*Qui opinati sunt, Atheniensium morbum typhum fuisse communem e conditione urbis peculiari ortum, refutantur.*

Vulgaris tamen, morbum illum ex urbis obsidione traxisse originem, scriptorum est opinio. Jam Diodorus Siculus, hanc causam summi momenti esse putans, verbis utitur hisce: „Πολλοῦ γὰρ πλήθους καὶ παντοδαποῦ ἐρῶρηκότος εἰς τὴν πόλιν, διὰ τὴν στενοχωρίαν εὐλόγως εἰς νόσους ἐπιπτον, ἔλκοντες ἀέρα διεφθαρμένον“ <sup>25</sup>). Omnino ad arbitrium hanc rem explicat Ferro in tractatu suo, quo demonstrare sibi proposuit, febres pestilentes omnes non tam contactu sive immediato sive mediato propagari, quam epidemicis potius quibusdam diffundi aëris conditionibus. Ad Hippocratem ipsum, qui, ut supra diximus, nullam contagii mentionem facit, provocans haecce effatur temere: „*Atheniensium pestem, quam Hippocrates vicinae silvae incendio delere tentavit, non alia quaedam produxerat causa, nisi coacervatio ruricularum*

---

<sup>24</sup>) Plutarch. vita Periclis ad fin.

<sup>25</sup>) Diod. Sic. Libr. Hist. 12, Cap. 45.

*Atticorum jussu Periclis facta, victusque inopia etc.*“<sup>26)</sup> Sed levissima mihi esse videtur haec opinio, facillimaque refutatu. Neque hominum coluvies multo antea facta, neque frumentorum inopia aderat, cum morbus saevire coeperit; Peloponnesii enim nondum multos dies morati erant in Attica, multoque minus obsidione urbem clauserant. Huc accedit, quod hominum catervas in superiore urbis parte coërcitas non prius tentavit morbus, sed Piraeum primum invasit<sup>27)</sup>. Etenim mare Atheniensibus patuit ob *θαλασσοκρατίαν*; quo factum est, ut commercio cum Aegyptiis et insulis aegaeis non prohiberentur. Summi autem momenti est, morbum illum non Athenas solum, sed insignem Africae Asiaeque partem antea pervagatum esse, postea vero urbes Graeciae hominibus frequentissimas (cfr. Cap. 54.) infestavisse; illas nimirum urbes, quibus commercium cum aliis gentibus vigebat; quam ob causam contagio cuique aditus ad illas magis patuit.

---

## CAPUT V.

---

26) Ferro, über die Pest-Ansteckung, 1781.

27) Facile quis mihi repugnans objiciat, Piraeum hominibus fuisse frequentiore, quam partem urbis superiore; concedo; sed illo quidem tempore ruricolae superiore potissimum urbe coërcitos fuisse, ex autoris verbis „ὕστερον καὶ εἰς τὴν ἄνω πόλιν ἀφίκετο, καὶ ἐθνησκον πολλῶ μᾶλλον ἤδη. Cap. 48.“ colligi potest.



C A P U T V.

*Utrum ex epidemicis tantummodo causis ortus sit Athenien-  
sium Graecorumque morbus, necne, quaeritur.*

Quum eadem circiter aetate Romam vexaret pestilens morbus<sup>28</sup>), disquirendum est, utrum e causis universalibus et quidem ex aëris tempestatumque constitutione, quam senex magnus potissimum urget, venerit Graecorum morbus, an ex miasmate specifico, ab Afris migrante. Illud ex iis ipsis, quae Noster in praefatione historica (Libr. 1. Cap. 23.) commemorat, argumentari liceat: „τά τε πρότερον ἀνοή μὲν λεγόμενα, ἔργω δὲ σπανιώτερον βεβαιούμενα, οὐκ ἀπίστα κατέστη, σεισμῶν τε πέρι, οἳ ἐπὶ πλεῖστον ἅμα μέρος γῆς καὶ ἰσχυρότατοι οἱ αὐτοὶ ἐπέσχον· ἡλίου τε ἐκλείψεις, αἱ πυκνότεραι παρὰ τὰ ἐν τοῦ πρὶν χρόνου μνημονευόμενα ξυνέβησαν· αὐχμοὶ τε ἔστι παρ' οἷς μεγάλοι, καὶ ἀπ' αὐτῶν καὶ λιμοί· καὶ ἡ οὐχ ἥκιστα βλάβασα, καὶ μέρος τὶ φθείρασα, ἢ λοιμώδης νόσος. ταῦτα γὰρ πάντα μετὰ τοῦδε τοῦ πολέμου ἅμα ξυνεπέθετο. Omni enim hominum aetate horrenda quaedam antecessisse morbis epidemicis iisque universalibus, terrae motus, eruptiones montium ignivomorum, cometas coelo apparentes etc., ipsi jam indicavimus, neque occasio de hac re latius disserendi nos effugiet. Sed alia quaedam quam luculentissime demonstrant, dispositioni hominum ad morbos suscipiendos illa aetate factae contagium peregrinum accessisse.

Non parvi haec mihi esse videntur momenti: In libro de morbis popularibus primo secundoque Hippocrates refert febres ardentes et phrenitides e

28) Liv. libr. IV. Cap. 25.

Thaso aliisque finitimis insulis urbibusque denotatas, quae ratione symptomatum decursusque habita longe distant ab illis, quas in libro III. descriptas supra jam exposuimus. Illae enim cum typho communi populariter grassante, qualis nostra observatur aetate, omnino congruunt; harum vero signa et decursus peregrinam produnt originem, quod jam latius explicavimus. Illas proxime his praecessisse, haud dubitamus. Febres enim malignas, i. e. typhosas, plerumque esse grassatas, antequam pestis aegyptiaca in Europam fecerit irruptionem, morborum satis docet historia. Exemplo sit prae aliis pestis Londinensis a Sydenhamo descripta: „Anno 1665“, refert, *febris quaedam continua epidemica oborta est a febrium continuarum genio, quae praecedenti constitutione degebant, longe diversa. Dolor capitis intensior, quam in priore illa et vomituritiones immanes ad hanc febrem accedebant: in plerisque diarrhoea ab emetico sumto provocabatur nec tamen cessabat vomituritio. Haec primum erant phaenomena hujus morbi diagnostica. Anno vero surgente ipsa pestis irrupit magno symptomatum pathogno-  
monitorum numero stipata, Carbunculis, Bubonibus etc.“<sup>29)</sup>.*

Atheniensium certe ipsorum morbum fuisse non merè epidemicum, per se manifestum est. Tanta enim ab initio ei inerat inficiendi vis, ut, quicumque aegrotos adierit, febre corriperetur.

Peloponnesum autem morbo intactam atque

---

29) Sydenhami opera omnia Sect. III. Lond. 1695.

omnino incolumem evasisse (Cap. 54.), memoria maxime dignum est. Faustissima enim coeli temperies, qua Peloponnesi incolae antiqua aetate gaudebant, tantam in naturam humanam exhibuit vim, ut minus aptam redderet ad suscipienda contagia. Nostra autem aetate, qua, coelo minus favente Peloponnesiis, aest s matutina atque diuturna, arida aestuosaque (Mercurio in thermometro Reaumuriano circa horas meridianas tricesimum et quartum vel sextum attingente gradum) incolas urit, pestem inguinariam saepenumero Peloponnesum invadere testatur Puquevillius <sup>30</sup>). Febrem igitur Graecorum et contagiosam fuisse et epidemicam, jam patet.

---

## C A P U T V I.

*Deliria quaedam de morbi illius natura tanguntur.*

Rubedo cutis, de qua supra disseruimus, pariter ac angina aliaque nonnulla symptomata ab autore relata ansam dederunt aliis ad opinionem, Atheniensium morbum fuisse scarlatinam; aliis vero, qui ophthalmiam, sternutationem, tussim ceteraque signa catarrhalia magis premebant, conjecturam illud symptoma excitavit non minus erroneam, fuisse morbum nil aliud nisi morbillos. In tantum errorem non nisi strictim attingendo Thucydidis descriptionem aut non legendo auctoris ipsa verba induci potuere!

---

<sup>30</sup>) *Voyage en Morée à Constantinople en Albanie et dans plusieurs autres parties de l'empire Othoman pendant les années 1798 — 1801.*

C A P U T V I I.

*Num variolae fuerint, quaeritur.*

Neminem adhuc (praeter ipsum) in Thucydidis descriptione variolarum vestigia invenisse, L. G. Sachtius miratur<sup>31)</sup>. Praeclare illud quidem dictum! sed male declaratur verbo „*vestigia*“ morbi natura. Variolas fuisse illas *Φλυκταίνας καὶ ἔλκεα*, id refelli potest his argumentis:

- 1) Variolae verae non abeunt in *ἔλκεα* s. ulcuscula, sed perseverant pustulae lymphae puriformi repletae, donec exsiccantur.
- 2) Criticae fuisse dignitatis, Thucydides non refert; quod quidem plerisque, qui variolis laborant, concidit in quaque epidemia.
- 3) Compluria, quae Noster singulis accidisse memorat, symptomata, e. g. manuum pedumque vel pudendorum gangraenam, autorum omnium, qui variolarum epidemias descripserunt, nemo denotavit.
- 4) Magno temporis intervallo ab Hippocratis atque Thucydidis memoria ad seculum p. C. sextum usque delapso variolarum quidem vestigia (Sachtii), sed omnino non variolae verae apud medicos graecos inveniuntur descriptae. Ex quo argumentari licet, variolas nequaquam exstitisse. Hae enim, quum primum apparuere, seculo nempe memorato, eandem, quam nostra aetate servarunt, speciem prae se ferentes morbumque sibi constantissimum constituentes sunt ingressae.

---

31) *De originibus variolarum liber Regiomont; 1824.*

Talem autem omnino neglexisse, veteribus obprobrare ne quis audeat! —

5) Cicatrices, quas variolae cuti insculpere solent, veterum neminem, neque Hippocratem neque Galenum aliosve commemorasse, gravissimi esse momenti existimo.

Multa subtiliaque de hac re disputata sunt a viris doctissimis. Nonnulli, imprimis Zacutus Lusitanus contra Pererium, Fonseca, Mercurialem defendit opinionem, veteribus neque variolas neque morbillos fuisse ignotas. Priore seculo potissimum Hahnus<sup>32)</sup>, Trillerus<sup>33)</sup> contra Werlhofium, Grunerum<sup>34)</sup> ceterosque eandem obtinere rem tentarunt. Multos ex Galeni nec non Hippocratis libris allegant locos, quibus illos verbo „*ἀνθήρανες*“ pro variolis usos esse explicare student. Sed ista quidem exanthemata, quae veteres locis descripserunt laudatis, variolas agnoscere equidem non possum. Recentissima aetate Sachsus (l. c.) rem satis tritam denuo ruminans Zacuti opinionem firmare studet rationibus levioribus, quas omittamus.

---

32) J. G. Hahn. *Carbo pestilens a Carbunculis sive variolis veterum distinctus Vratislaviae 1736 accedunt.*

33) D. G. Trilleri *epistolae 2. de anthracibus et variolis veterum.*

34) Gruner, *variolarum antiquitates ab Arabibus solum repetendae (in delect. dissert. med. Jenens. colleg. Grun. Vol. II.)*

C A P U T V I I I.

*De pustulis ulcerantibus morbi Atheniensium, quid nosmet ipsi sentiamus, exponitur.*

Qui de peste inguinaria scripserunt, autores omnes, imprimis Sarzenus Lugdunaeus <sup>35)</sup> et Mindererus <sup>36)</sup> pustulas exiguas vario tinctas colore toto in corpore, testantur, erumpere multis eorum, qui peste sunt correpti. Sanie quadam repletae colorem exhibent illae modo pallidum vel citrinum vel rubrum, modo virentem, modo lividum aut nigrescentem. Mox rumpuntur ac liquorem foetidum et plerumque citrinum effundentes squamam herpeti similem efficiunt. Sua natura maxime affines mihi esse videntur carbunculis, qui constantissimum pestis symptoma deprehenduntur. Paene dixerim, pustulas ejusmodi esse carbunculos minutos; namque in eadem pestis epidemia aliis efflorescunt in toto corpore pustulae hujus generis perpusillae vel magnitudinem lentis aequantes <sup>37)</sup>, quales Procopius commemoravit, aliis autem carbunculi apparent variis in corporis regionibus. Hippocrates etiam (l. c.), quae in cute apparuerunt, his verbis refert: „άνθρακες πολλοί κατὰ θέρος καί ἄλλα, ἃ σήψ καλέεται, ἐνθύματα μεγάλα· ἔρπητες πολλοῖσι μεγάλοι.“ Voce „σήψ“ significare mihi videtur: *putredinis signa*; ἔρπητας autem fuisse crustas a pustulis (ἐνθύμασι) relictas, opinor. Pustulas igitur Atheniensibus efflorescentes atque ulcerantes ejusdem fuisse naturae, cujus esse solent cae, quas

35) *De peste commentarius. Lugdun. 1589.*

36) *De pestilentia Libr. I. 1619.*

37) *Procop. de bello pers. Libr. II. C. 22.*

in peste inguinaria saepius apparere memorant scriptores, procul dubio est; apud medicos illae sonant ecthymata.

---

## C A P U T I X.

*Num Atheniensium febris suo genere unica fuerit, quaeritur.*

Neque typhum bellicum, neque variolas, neque pestem inguinariam (etiamsi bubones singulis evassissent), fuisse Atheniensium morbum, si inter omnes convenit, sed febrem potius propriae naturae e peculiari ortam contagio, quaerendum est nobis, utrum haec febris aethiopica in suo genere singularis sit, an similes incertis temporibus ex Africa ortas febres, quae per totum terrarum orbem sint propagatae, tales scilicet febres contagiosas et sibi constantissimas, quales sunt variolae, memoriae prodiderit morborum historia.

---

## C A P U T X.

*Aethiopicae tres febris Atheniensium sorores.*

Gravissimos, qui terram peragrarunt universam, mortalium genus depascentes, tres morbos pestilentes post illum a Thucydide descriptum, diversis seculorum intervallis irruentes ac eos quidem specie Atheniensium morbo simillimos invenimus historiam perscrutando. Omnes ex Aethiopia aut certe ex Aegypto emersisse, scriptores omnino consentiunt. Quot et quam graves causae nostra etiam aetate in Africa

septentrionali conspirent, ut miasmata luem hominum genti inducentia evolvantur, nemo nescit. Fluminum enim inundationes mortuarumque bestiarum cadavera, quae ab undis in alveos receptis relinquuntur in terra aëremque putredine facta corrumpunt; dein miserrima incolarum iugo servitutis acerbissimo succumbentium conditio, imprimis autem coeli ipsius injuriae, aestus magni tempestati pluviae repente succedentes (tametsi fervor aestivus ad summum gradum evectus pestem jam obortam extinguere solet); porro aerae graves e stagno vel alioquin residuis aquis emergentes, inimicusque Auster primum calidus, dein urens absque pluviis diu perseverans, tum per se infaustus valetudini hominum tum vapores vehens e paludibus spirantes, vitae humanae afferunt perniciem.

Prima illarum febrium aethiopicarum generi mortalium incumbens saeculo p. C. n. secundo maximeque Romam depopulans et Asiam a Galeno est commemorata. Secunda proximo sequens saeculo terras pervagatur, ab Ecclesiasticis nonnullis, praesertim ab Eusebio et Cypriano sancto denotata. Denique tertia saeculo incidens sexto in pestem ipsam inguinariam degeneravit. A Pelusii incolis orta et hinc inde ad extremas orbis oras dimanans „ὡπερ δεδοικυῖα. μή τις αὐτὴν τῆς γῆς διαλάθοι μυχὸς“<sup>38)</sup> ab Evagrio Scholastico et Procopio, scriptore byzantino, est descripta.

Eandem fere duabus prioribus speciem, quam atheniensi, tertiam autem illi aliqua ex parte

---

38) *Procop. l. c.*



similem fuisse, ut sat luculenter exponamus, historiam earum, qualem scriptores illi autoptae nobis tradiderunt, jam ad lucem proferamus.

---

C A P U T X I.

*Febris aethiopica Galeni aetate Romam vexans.*

Haud multo postquam M. Antoninus imperium obtinuerat romanum, annis 165 — 168 p. C. saevissima lues ex Aethiopia mergens terras tunc temporis Romanis cognitas omnes perstringens decem circiter annos (?) duravit. Romam certe urbem ad annum 174 usque vexasse, constat. Claudius Galenus, qui eodem tempore Romae versans morbo correptos terra quadam armeniaca curabat, distincte dicit: huic pesti eandem, atque illi, quae Thucydidis memoria grassata sit, fuisse faciem. Nullam tamen peculiarem de illa tractationem instituit; quod mirandum est: ipse enim Galenus exprobrat Hippocrati, quod non plene ac diserte, sicut debebat, morbos pestilentes seu populares descripserit. — Ab Hippocrate, omnino nullum contagium agnoscente, longe dissentit Galenus, qui pestis mentionem faciens haec effatur: „ — ὡςπερ γε καὶ ὅτι συνδιατρίβειν τοῖς λοιμοτάτοι-  
σιν ἐπισφαλές· ἀπολαῦσαι γὰρ κίνδυνος, ὡςπερ ψώρας τινὸς ἢ ὀφθαλμίας“<sup>40</sup>). Alicubi morbum Atheniensium commemorans his utitur verbis: „ἐπαινῶ -- τὸν Θαυμασιώτατον Ἱπποκράτην, ὅτι τὸν λοιμὸν ἐκεῖνον τὸν ἐκ τῆς

---

39) *De simplic. medicam. facultat. Libr. 9.*

40) *Libr. I. de different. febr. Cap. 3.*

Ἀιθιοπίας ἐς τοὺς Ἕλληνας φθάσαντα, οὐκ ἄλλως ἐθεράπευσεν, ἀλλ' ἢ τρέψας τὸν αἰέρα καὶ ἀλλοιώσας, ἵνα μηκέτι τοιοῦτος ὦν ἐναπνέηται. κελεύσας οὖν διὰ τὴν πόλιν ὅλην ἐξάπτεσθαι τὸ πῦρ“ etc. <sup>41</sup>).

Ex omnibus Galeni libris, quotquot (fususque Thucydide et Hippocrate) scripserit, singulatim passimque commemorata febris illius symptomata impigre investigando et eligendo me carpere necesse fuit. Quot invenerim, jam in medio ponam <sup>42</sup>): „Quos pestis corripuerat, iis oculi apparebant flammei et calidi <sup>43</sup>); vocis depravatio et spiritus ex ore foetidus; tussis vehemens; vomitus biliosi aliis, aliis autem evadebant alvi defluxus tales. Quae initio evacuabantur, erant et flava et rufa. Quae vero mox apparebant, nigra erant, veluti sanguinis faex, tam in iis, qui valetudinem post recuperabant, quam in his, quibus mori in fato erat <sup>44</sup>). Sitis inexhausta, sed cibi fastidium <sup>45</sup>). Cutis quoad calorem et colorem talem se exhibebat, qualis in febre Atheniensium erat. — Evasuris pustulae, quas exanthemata vocant, nigrae toto corpore confertim multae apparuerunt (plerisque 7mo vel 9no die) ulcerosae quidem plurimis, omnibus certe siccae. Medicamentis ad ejusmodi exanthema opus non fuit, cum siderent. sua sponte

41) De Therica ad Pisonem Cap. 16.

42) Symptomata a Galeno relata transtuli lingua latina, quia e contextu sunt exempta.

43) De praesagit. e pulsibus Libr. III. Cap. 4.

44) Method. med. Libr. V. Cap. 12.

45) De praesagit. e puls. l. c.

*ad hunc modum: aliis quidem, quibus videlicet exulcerata summa pars fuit, decidit ipsa ulceris crustula, quam Ephelcida nuncupant. Deinceps, quod reliquum fuit, propinquum sanitati post unum duosve dies ad cicatricem pervenit; aliis, quibus ulcerata summitas non est, exanthema quidem ipsum et asperum et scabiosum fuit: decidit autem veluti squama quaedam ac de hinc omnes fuere sani<sup>46</sup>). Carbunculos quoque effloruisse, testatur.“ Terminationes morbi refert hasce: „In summos pedes saeviit morbus eosque putrefecit<sup>47</sup>). Diarrhoea perierunt multi. — Malum ex capite in fauces defluxit; ubi per guttur in asperam arteriam et pulmones venerat, ibi vitia produxit, ex quibus tabes multorum est orta<sup>48</sup>). Alias quoque febres hecticas morbus induxit“<sup>49</sup>).*

Quis est, qui maximam hujus morbi cum atheniensi similitudinem non agnoscat? Sed revera singulare est hoc, quod exanthema illud pustulosum ac ulcerans criticam habuit dignitatem. — Sed ad alteram ex Aethiopia migrantem febrem jam transgrediamur.

---

## C A P U T X I I.

*Febris aethiopica Galli et Volusiani imperatorum aetate grassans.*

Inde a temporibus Galli et Volusiani imperatorum morbus „κίνησις ἀπ’ Αἰθιοπίας μέχρι τῆς δύσεως,

---

46) *Method. medend. Libr. V. Cap. 5.*

47) *De usu partium corp. hum. Libr. III. Cap. 5.*

48) *Comment. 3. in Libr. III. de morb. pop.*

49) *Meth. medend. Libr. X.*

ὡς μηδεμίαν πόλιν μεῖναι τούτου ἄμοιρον“ irrupit. „Πολ-  
λάκις δὲ καὶ δις τῆς πόλεως ἐπήρχετο· ἐκράτει δὲ ἔτη πεν-  
τεκαίδεκα, ἀρχόμενος ἀπὸ Φθινοπώρου καὶ λήγων τῆ τοῦ  
κυνὸς ἐπιτολῆ. Μετεδίδοτο δὲ ἡ νόσος αὕτη ἀπὸτε ἰμάτων  
καὶ ψιλῆς θέας“ 50). Coepit anno C. 252 et desiit  
anno 267. Alexandriam et Aegyptum maxime af-  
flixisse illum, testatur Hieronymus et Dyonysius 51).

Morbo correptos primum invadere aestus vehe-  
mentissimi, quos vomitus et oculorum inflammatio  
sequebantur. Dein angina vexare et viscerum cru-  
ciatus abdominalium, superveniente diarrhoea vel  
gangraena organorum sensibus indulgentium vel pu-  
dendorum aut extremitatum. Aestus interni tanto-  
pere aegros urgere, ut puteos et flumina petentes  
irruerent in illa praecipites. Qualem se exhibuerit  
cutis et quoad calorem et colorem, scriptores non  
memorant. Sed morbo huic describendo ingenium  
defuit Thucydidis! —

---

### C A P U T X I I I.

*Tertia lues africana degenerans in pestem ipsam.*

Sane prae ceteris omnibus stupenda est lues  
illa, quae seculo sexto genus humanum infestavit,  
pariter ac priores febres contagioso-epidemicæ, ex  
Africae mergens regionibus: quod inter omnes, qui  
tunc temporis florebant, scriptores convenit. „Τῆς

---

50) Cedren. Histor. compend. edit. Hylandr. p. 211 — 212.

51) Euseb. Pamphil. eccles. histor. Libr. VII. C. 22.

Ἀντιόχου πρὸς Περσῶν εἰλούσης ἔτεσιν ὕστερον δύο, πάθος ἐπεδήμησε λοιμώδης, ἐν τισι μὲν συμφερόμενον τῷ ὑπὸ Θεουκιδίδου γραφέντι, ἐν τισι δὲ πολλῶ διαλλάττον καὶ ἤρχθη ἐξ Ἀιθιοπίας.“ Haec sunt verba Evagrii <sup>52)</sup> non satis perspicua. Quo sensu hoc intelligi vult? Equidem vocibus hanc vim tribuerim, ut significant, morbi et symptomata et decursum aliis in aegris speciem atheniensis prae se tulisse, in aliis autem discrepasse. Quam interpretationem affirmant ejusdem verba haecce: „τὸ δὲ πάθος ἐν διαφόρων σημάτων συνέκειτο.“ Num potius ita sunt explicanda, ut morbum diversis temporibus Atheniensium feбри modo similem fuisse, modo dissimilem, indicent? — Procopio teste <sup>53)</sup> orta est haec lues a Pelusii incolis <sup>54)</sup>, unde bifariam didita, huc Alexandriam et reliquam Aegyptum pervasit, illuc in Palaestinam diffusa, inde universum terrarum orbem occupavit semper progrediens cursu certis temporum spatiis definito. In universum enim quatuor absolvit indictiones i. e. aetates 15. annorum, quibus singulis inchoantibus morbus viribus quasi recuperatis saevissimo cum furore incumbere coepit generi humano. Quod praecipue secundo uniuscujusque indictionis anno acci-

---

52) Evagr. Scholast. histor. eccles. Libr. IV. C. 29.

53) l. c. C. 22.

54) Regionem, quam Procopius pestis fontem distincte indicat, patriam pestis inguinariae unicam esse, recentissima aetate Pariset, medicus gallicus, diutius in Aegypto versatus, contendit, veteris illius scriptoris fidem egregie confirmans. V. Allgemeine Zeitung No. 153. Beilage, vom 2ten Jun. 1830.

dit. Scriptores, quos supra commemoravi, hanc pestem, qualem priore aetate sese exhibuit, non descripserunt, sed posterioribus demum annis. Quam ob causam illi non integram morbi imaginem nobis tradidere. Prima indictione, vel ab a. Chr. 542—44— usque ad a. 557, prope oras maritimas repens, morbus febrium phlegmonosarum imitans naturam vomitus sanguinis excitavit, gangraenam autem intimarum partium derepente induxit.

Secunda autem aetate morbus ita permutatam prae se fert speciem, ut quaerendum nobis sit, quot et quantaе irruerint causae et internae et externae, quibus conspirantibus contagium mortalibus tam exitiale procreari potuerit. Stupenda sunt ista, quae tunc temporis acciderunt in rerum natura. Quae evenere et coelestia et terrestria et humana, in epidemiarum chronica retulit Schnurrerus<sup>55)</sup> diligentissime collecta. Hoc persuasum habeo, in Aegypto ipsa, ubi inundationes Nili fluminis contra normam atque identidem factae, terrae motus creberrimi horrendique et alii infausti calamitatum imminentium nuntii aevo illo apparuere, contagium summa imbutum potentia esse obortum, quod sese propagans contactu vel mediato vel immediato universum genus humanum ex dispositione quadam communi potentiae morbificae obvium, praesertim cum gentium migrationibus natura hominum ipsa omnino esset permutata, pervasit atque infecit. Tanta autem vis morbo inerat, ut, quemcunque tentarit, morte auferretur rapidissima. Namque veneni instar narco-

---

55) *Chronik der Epidemien*, B. I. p. 128 — 131.

tici irruens in cerebrum nervorumque compagem, systema autem circulatorium intactum paene omit- tens subito vim vitalem suppressit. Quam gravi ner- vorum systema fuerit afflictum labore, ex Procopii descriptione satis patet. Verbis ipsius transferamus haecce: „Φάσματα δαιμόνων πολλοῖς ἐς πᾶσαν ἀνθρώπου ιδέαυ, ὠφθῆ· ὅσοι τε αὐτοῖς παραπίπτοιεν, παίσσθαι ᾤοντο πρὸς τοῦ ἐντυχόντος ἀνδρός, ὅπη παρετύχει τοῦ σώματος. ἅμα τε τὸ Φάσμα ἐώρων, καὶ τῇ νόσῳ αὐτίκα ἠλίσικοντο.“  
 Alios, refert autor, in templa perfugisse, ut ejusmodi simulacra evitarent, alios autem in cubicula se con- clusisse etc. „Τισὶ δὲ“, pergit, „οὐχ οὕτως ὁ λοιμὸς ἐπέσκηψεν· ἀλλ' ὄψιν ἰνείρου ἰδόντες ταυτὸ τοῦτο πρὸς τοῦ ἐπιστάντος πᾶσχειν ἐδόκουν ἢ λόγον ἀκούειν προσλέγοντας σφίσι, ὅτι δὴ ἐς τῶν τεθνηκότων τὸν ἀριθμὸν ἀνάγραπτοι εἶεν<sup>56</sup>). His perturbationibus animi afflicti sunt plerique, antequam morbo correpti sibi viderentur. Morbosa autem corporis ipsius affectione jam ingressa, febris tamen signa fuisse ita obscura, ut neque aegris ipsis neque medicis aliquam ejus suspicionem move- rent, mirandum est. Superficies enim corporis ni- hil morborum exhibere; neque color esse a norma alie- nus, neque calor ultra modum excitatus. Pathogno- monicum autem morbi signum mox evadere *bubo*, i. e. tumor glandularum lymphaticarum variis in cor- poris regionibus, quibus videlicet congestae sunt istae glandulae in catervas, enascens, imprimis circa *in- guina*, sub axillis, nonnullis etiam post aures; eodem die, quo correpti sunt contagio, tumores illi elevari solebant aliis, aliis autem postero die vel sequenti-

56) Procop. l. c.

bus. Tum gravi veterno pressi decumbere, aut insania furiosa jactari. Quicumque vero mentis compotes perseverabant, vehementissimo laborare cruciatu, bubones cum extabescerent minimeque ad suppurationem pervenirent. Subito igitur plerique, alii haud multo post perire. Quibus autem tumor in abscessum sese allevare coepit, ii pernicie evadentes in valetudinem restituti sunt integerrimam. En pestis inguinariae imago!

---

## C A P U T X I V.

### *De natura pestis inguinariae peculiari.*

Ex supra relatis intelligitur, contagium istud exitiale praecipue cerebrum nervosque occupasse, naturam autem exhibuisse nisum, potentiae morbificae in systema lymphaticum transferendae, ut inflammatione glandularum facta suppuratio perfecta benignaque ipsam materiam peccantem expelleret. — Sed vasorum lymphaticorum systematis per se tardioris non sufficiebat vis ad suscipiendum hoc munus; quam ob causam, glandularum tumore sistente, potentia morbifica nervis inhaerens vitam subito exstinxit. Multo tamen aptior ad exterminandum venenum, quam cutis, esse videtur vasorum lymphaticorum series: namque carbunculi, ethymata (*ἐκθύω* = erumpo) aliaque ejusmodi exanthemata longe pejoris notae sunt signa quam bubones. Quod ipsa Procopii descriptio affirmat (l. c.). Toto enim corpore pustulas atras magnitudinem lentis aequantes nonnullis erupisse, refert; hos autem ne unum quidem



dem diem superasse, sed eadem hora naturae debitum omnes reddidisse. Idem fere memorat Forestus: peste enim in Delphos Batavorum saeviente carbunculi erumpentes funestioem praebuere prognosin quam bubones<sup>57</sup>).

Pestem igitur inguinariam esse morbum systema nervorum praecipue occupantem ejusque vim oppressurum, quem vasorum lymphaticorum compages imprimis autem glandularum catervae solae, abscessus meracos efficientes, judicare possint, ex omnibus, quae supra diximus, recte colligi potest.

---

## C A P U T X V.

*De variolis eadem fere aetate, qua pestis orta est inguinaria, orientibus Europamque invadentibus.*

Variolas veras, quales nostra sese exhibent aetate, illo aevo emersisse aut certe primum esse descriptas, medicorum nostrae aetatis vix ullus est, qui dubitet. Arabia autem est ea potissimum regio, quam ex Africa migrantes sunt ingressae. Abd Dschafar primus descripsit illas. Synesius autem, ejus interpretator graecus, seculo vigens duodecimo, et variolarum et morbillorum, quam Arabs ille litteris prodidit, delineationem in linguam graecam vertit, variolas nuncupans *Φλυκταινούση λοιμική νόσος*<sup>58</sup>). Regiones autem

---

57) *Petr. Foresti observat. et curat. etc. Oper. omn. Francof. 1660. . Libr. VI. etc.*

58) *Cfr. Sprengels Beiträge zur Geschichte der Medizin, pag. 24.*

occidentales anno 569. prae ceteris invadentes praecipue Italiam nec non Galliam variolae admodum vexarunt. Quarum impetus cum iis potissimum inciderit temporibus, quibus pestis saevissima terras infestabat, id maxime nobis patebit, variolas sese habere ad illam sicut filiam ad genitricem. Probatur haec opinio aliorum exanthematum exemplo, quae ipsa, etsi plerumque sibi constantissima tamen a febribus generis typhosi grassantibus originem duxisse nonnunquam observabantur<sup>59</sup>).

---

59) In pago Ergenzinga intra centum annos duodevicies febres typhosas secuta vel comitata est scarlatina. Non nisi sexies scarlatina pagum illum infestavit, non secuta vel comitata typhum lethiferum. (*Baur dissert. inaug. sistens topographiam pagi Ergenzingen, Tub. 1810.*)

Anno 1806 ex eodem typho bellico, cui Tubingae tum temporis morbilli successerunt, Munchingae nata est scarlatina, quae antea in tota ista regione nondum exstiterat. (*Friz dissert. inaug. sistens descriptionem morbi epidem. Munchingae grassanti. Tub. 1807.*)

In pago Gomaringa infans a milite russo, qui typho infectus, manibus illum exceperat, afflictus est morbillis, qui statim pestis adinstar mortiferae divulgati sunt. (*Tübinger Blätter für Naturwissenschaften und Arzneikunde, B. I. 1815. p. 27.*)

Tubingae scarlatina prodiit ex typho, cum femina quaedam fratrem in nosocomio militari Hohenheimensi typho decumbentem viserit atque febre typhosa cum angina statim affecta sororem scarlatina meraca inferit. (*H. F. Autenrieth, Uebersicht über die Volkskrankheiten in Großbritannien. Tüb. 1823. p. 127.*)

Desunt omnino non exempla, quae demonstrant, morbum aliquem ex alio quodam natura abhorrenti

C A P U T X V I.

*Quae febribus aethiopicis fuerint communia, exponitur.*

Quibus rebus febres illae <sup>1520f</sup> aefrae differant a peste inguinaria, in quam degeneraverunt, ut satis exponamus, nobis primum est quaerendum, quaecumque morbis illis fuerint communia. Utrum ex Aethiopiae ipsius terris, an ex Aegypto potius et quidem ex inferiore ejus parte, i. e. prope Delta, quo pestem seculo sexto esse obortam Procopius et Abu'l Faradsch consentiunt, duxerint originem, id aliis permittimus investigandum. Hoc quidem apertum esse arbitramur, ex ea Africae septentrionalis parte, quam Nilus interfluit, communem omnes traxisse fontem. Illinc autem surgentes prorepserunt huc et illuc invadentes, donec occasio per naves transvehendi et regiones transmarinas infestandi iis evaderet. Omni tempore ab origine ad occidentem potius, quam ad orientem vertisse videntur, prae primis Asiam minorem, Graeciam, Italiam, Hispaniam occupantes.

Omnibus omnino commune est natura summum ad modum mortifera inficiendique vis tanta, ut ne-

---

nasci posse. Anno 1814 Stuttgartiae ex morbillis emersit scarlatina (*Tübinger Blätter l. c. p. 27.*), Luthnaviae autem tussis ferina e typho (*l. c. p. 25.*).

Willanus febrem typhosam ex variolis, quibus infantes laborarunt, esse ortam, septies observavit; eadem ratione scarlatinam Londini exstitisse, referunt. (*Volkskrankheiten in Großbritannien, von H. F. Autenrieth. p. 127.*)

Ex omnibus modo relatis argumentari licet, opinionem, variolas ex epidemia illa aegyptiaca fontem duxisse, haud ineptam esse.

que aetati puerili parcant neque senectuti. Omnes per longius temporis spatium mortalium gentem vexasse, historia docet. Illa, quam in tractatu nostro potissimum perlustrare nobis proposuimus, per tres annos Athenienses ipsos devorare non desiit. (Cfr. Thucyd. Libr. III. Cap. 85.) „Τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου χειμῶνος ἢ νόσος τὸ δεύτερον ἐνέπεσεν τοῖς Ἀθηναίοις ἐκλιποῦσα μὲν οὐδένα χρόνον τοπαντάπασιν, ἐγένετο δέ τις ὁμῶς διακωχῆ· παρέμεινε δὲ τὸ μὲν ὕστερον, οὐκ ἔλασσον ἐνιαυτοῦ· τὸ δὲ πρότερον καὶ δύο ἔτη.“ Quam diu ceteris Graeciae regionibus haeserit, ex scriptis colligi non potest. Galeni autem lues decem — quindecim annos Romam devastavit. Memoria autem maxime dignum est, febrem illi succedentem per integros 15. annos durasse et luem istam terribilem, et pertinacissimam, quae seculo sexto irrupit, aetatem 15. annorum quater absolvisse, quarum priore indicatione speciem feбри atheniensi haud dissimilem prae se tulisse, supra indicavimus.

Sin autem quaeritur, quae febres illae pestilentes communia habeant symptomata, id primum nobis patet, typum septenarium vel nonarium illas servasse, tum Atheniensium tum Galeni febrem; insequentem vero, quamquam scriptores non definierint, procul dubio eadem ratione esse ingressam. Qualem se exhibuerit posterior, antequam in pestem transmutata sit, non satis expeditum est. Inflammationis autem signis fuisse stipatam, pro certo habemus; ex quo intelligi potest, febrilem pariter ac priores incessisse,

• Eminentissimum illarum febrium symptoma deprehenditur sitis, qua vexati aquas petierunt aegri,

ferocissima. Omnino autem proprium et singulare est exanthema illud, quod ecthyma esse vocandum demonstravimus. Galeni febrem eodem esse terminatam exanthemate, tametsi pessimam prae se tulerit faciem, mirandum est. — Communes denique omnibus apparuere terminationes morbi nocivae: gangraena nempe artuum organorumve singulorum, qua facta vel perierunt aegri vel vitam servarunt corpore detruncato. Febrium igitur typhosarum generi esse accensendas, satis jam liquet.

---

## C A P U T X V I I.

*Febrium afrarum indoles, comparata cum peste, exponitur.*

Quo modo distinguuntur febres illae a peste ipsa, in quam transierunt, inguinaria? Congruere cum hac, si et originem et conditionem mortiferam et symptomata respicias pleraque, nemo infitiabitur. Sed tumoribus istis glandularum, imprimis autem eo, quod neque typum obtinet febrilem, neque terminationibus morbi variis praecipue transitu in alios morbos chronicos est stipata, sed plerumque vel in mortem vel in valetudinem exire solet integerrimam, ab illis longe discedit pestis inguinaria. Omnino autem extincta esse febrium aethiopicarum vestigia sexto abhinc seculo, ex quo pestis inguinaria in vicem illarum succedens incertisque surgens temporibus dominium in ceteros morbos obtinere non desiit, omnium, quae exposuimus, memoria maxime dignum est. Illas per longinquum aevi antiqui spatium pariter ac pestem posteriore hominum aetate,

esse dominatas, pro certo habendum censemus, quum ante atheniensem exstitisse lemnicam illam Thucydides ipse litteris mandaverit. Quod de hac re in introductione historica egimus, ut memoria repetant, lectores nostros benevolos rogamur.

---

## C A P U T X V I I I .

### *C o n c l u s i o .*

Illas ergo febres, quas rite comparando exponere nobis proposuimus

„typhum aethiopicum antiquorum“  
sive

„febrem aethiopicam putridam“  
vel, si tertiam quoque febrem Cypriani memoria grassantem pustulis ulcerantibus fuisse stipatam constaret,

„typhum antiquorum pustulosum“  
nominare voluerimus. Pestes vocare illas non licebit, quum lui inguinariae hoc nomen sit reservandum.

---

Ne quis credat in errorem nos inductos esse tantum, ut putemus, nil reliquum nobis esse, quod de egregia Thucydidis descriptione agere praeterea possimus. Imo! persuasum nobis est, multas alias egregiae narrationis partes, multorum verbi causa, qui recuperarant valetudinem, memoriam exitioso

morbo ad tempus penitus extinctam (Libr. II., 49.)  
moresque adeo labefactatos, ut desperatis rebus nihil  
pen~~si~~ neque sancti haberent cives, metuque hominum  
et Deorum exuto, effreno quisque impetu rueret ad  
voluptates ac rapinas (Cap. 52 — 53.) a nobis esse  
omissas. Quae quanquam dignissima sint, quae et  
ab artis medicae peritis et ab omnibus, quorum na-  
turam humanam habere cognitam intersit, observen-  
tur, finem tamen scribendi facere temporis ad scriptio-  
nem nostram dati rationibus nunc jubemur.

---

